



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XXXIV. De Treuga & Pace.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

muneris publici vel causa merè temporalis sibi competente, contendunt: licet de ea in Ecclesia vel Supplicatione exortam litem, ad tumultum & scandala evitanda componere Episcopus valeat, arg. cap. 13. cit. de ea tamen, tam in Petitorio quam Possessorio, cognitio definitioque judicialis competit judici Seculari; cum ejusmodi precedentia jus neque spirituale neque huic, nisi merè per accidens, sit conjunctum.

33. Ratione Jurisdictionis Majoribus debetur Obedientia: quæ Rubricæ hujus pars altera est, & exigit in primis, ut ei, cui debetur, exhibeatur reverentia: deinde, ut justa ejus mandata excipiantur & observentur: demum, ut ei in judicio pareatur: nisi subditus ab hoc per interpositam appellationem vel recusationem absolvatur, vel ei controversia ab ipso superiore moveatur, Glossa in can. 1. V. Obedientiam dist. 93. Hostiens. in Summa hic n. 2.

Debentur autem his modis Obedientia Majoribus vel Maximè ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut sunt summus Pontifex, ab eoque Ecclesiis & fidelibus regendis pascendisque præpositi Prælati inferiores: quibus ea non à clericis & aliis personis Ecclesiasticis duntaxat, sed à laicis quoque ipsis, & ab istorum Principibus ac Magistratibus, quoad spiritualia, sive ea, quæ ad cultum Divinum & animarum salutem spectant, exhibenda est, c. Si quis 2. c. Omnes 4. & c. Solita 6. ubi quoad ista Regalis & Imperatoria majestas summo Pontifici subiecta dicitur à Christo, B. Petro istiusque successoribus Pastorem curam & fidelium regimen generaliter, sine distinctione vel exceptione, committente verbis: Quæcumque ligaveris super terram &c. Matth. cap. 16. v. 18. & Pæce oves meas Joan. cap. 21. v. 17.



TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

SUMMARIUM.

- | | |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Ratio Ordinis. 2. Etymon & natura Belli. 3. Defensivi & Offensivi. 4. Quorum utrumque licitum est. 5. Si legitimè auctoritate. 6. Ex justa causa. 7. Et recta intentione suscipiatur. 8. Geri nequit, si ab adversa parte comperens satisfactio. | <ol style="list-style-type: none"> 9. Etiam bellò jam captò, offeratur. 10. Verè justum ex utraque parte esse nequit. 11. In justo licita sunt, necessaria ad Victoriàm. 12. Illicita autem, I. Amuletta Magica. 13. II. Venenatio armorum, ammona, somium. 14. Non etiam insidia & stratagemata. |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

Uu uu 15. III.

15. *III. Expilatio Sacrorum & Religioforum locorum.*
16. *Et ad Ecclesiasticos &c. pertinentium bonorum:*
17. *IV. Multoque magis cades innocensium:*
18. *Nisi jussu Divino,*
19. *Vel indirectè tantum occidantur.*
20. *Nocentes devicti aliquando licitè occiduntur;*
21. *Dummodo multitudinè ratio habeatur.*
22. *V. Captivorum Christianorum redactio in servitutem.*
23. *VI. Violatio Treugarum sive induciarum:*
24. *Qua vel Legales sunt vel Conventionales.*
25. *Legales armorum feriationem sacratoribus anni temporibus prescribunt.*
26. *Modernò tamen usu non observantur:*
27. *Bellumque licitè geri creditur diebus Festivis.*
28. *Conventionales inviolabiliter custodiende sunt:*
29. *Nisi ab adversa parte,*
30. *Et auctoritate publica sint Violata.*

1. **A** Judicibus ad Judiciorum Præliminaria progreditur Papa, iisque præmittit hoc Titulo Treugas & Pacem, sequentibus duobus Pactiones & Transactiones: quarum illis Bella, sive inter Principes ac Respublicas excitata & armis dirimi cæptæ controversiæ, vel sopiuntur ad tempus, vel omnino conquiescunt: istis fere inter privatos ortæ lites vel impediuntur, vel extra judicium terminantur.
2. Bellum, vel per Antiphrasin ab eo, quod *minimè bellum* jucundumque sit

cum Prisciano, vel cum Festo à Bellis, mutuo laniatu se conficientibus, sic dictum, est discordia Principum vel Republicarum vim & arma sibi mutuo inferentium. *Principum*, inquam, vel *Republicarum* seu Statuum, in temporalibus non recognoscentium superiorum; cum singulorum singulos vel paucorum paucos, in Republica vel communitate armis se impetentium, discordia Duellum vel Rixa; & subditorum in Principes vel Magistratus suos indigentium, Seditio potius vel Rebello, quam Bellum sit, D. Thomas 2. 2. q. 41. art. 1. & Suarez de *Charitate* disp. 13. p.

Est autem Bellum aliud *Defensivum* & aliud *Offensivum*: quorum illud in injuria illata vel inferenda repellitur: istò sive *Offensivò* & ut etiam vocatur, *Aggressivò* damnum aut injuria illata reparatur aut vindicatur. Becanus de *Fortit. Theolog.* cap. 25. n. 1. & Laima *Lib. 2. tract. 3. cap. 12. n. 2.*

Dubium est, an licitum sit bellum *Offensivum*; *Defensivum* enim licitum, nemo sanæ mentis in dubium vocat; cum vim injuriæ illatam inferendum vim repellere non publicè duntaxat, sed etiam quoque auctoritate cuius Naturalis sit permissum, *can. Ju. Naturali 7. dist. 1. c. Si verò 3. de Sent. excom. 1. de vim 3. ff. de I. & I. l. 1. §. 27. ff. de Vi armata.* *Offensivum* autem illicitum esse, præliminariarum quondam, fuit error, à SS. PP. & Ecclesiæ DD. Augustino *can. Quid volupatur 4. can. Militare 5. Et. c. 23. q. 1. Gregorio can. fm. q. cu. relatis & Ambrosio Lib. 1. Offic. à cap. 33. & Lib. 3. cap. 14. & vera Theologorum Schola semper rejectus; quòd talia bella à Veteris Testamenti eximii sanctis Abrahamo, Moysè, Josue, Gedeone, Davide, Machabæis gesta, & Divino etiam jussu suscepta*

suscepta, ex facris Literis constat: in Nova autem Lege ea reprobata & gerentes reprehensi non reperiuntur; cum Christi Domini Præcurator milites, quomodo divinum iudicium & condemnationem effugiant, sciscitantes, non deserere bellum & arma deponere: sed solummodo neminem concutere & calumniam non inferre iusserit, Lucæ cap. 3. v. 14. & Christus ipse laudavit fidem Centurionis, qui ei desertionem militiæ imperavit, Matth. cap. 12. v. 10. Simili modò Actor. cap. 10. v. 47. Cornelius centurio Baptismum & Spiritum sanctum accepit sine depositione militiæ: pro cuius stipendiis Christus Dominus Cæsari, quæ sunt Cæsaris, reddi sive tributum pendi præcepit, Matth. cap. 22. v. 21. ut ibi advertit S. Augustinus de Verb. Dom. serm. 9. relatus can. Quid culpatur & can. Militare cit. Pro eadem belli Aggressivi, servatis debitis conditionibus suscepti, honestate etiam facit ratio; quia etiam tale bellum quandoque necessarium est, ad reparanda damna accepta resque ablatas recuperandas vindicandamque injuriam & promeritam pænâ plectendos hostes, in Principatus & Respublicas, pro libidine sua quidlibet auferos, si improbitatem suam fore impunitam, & negligendam sperant à proprio illarum Principe vel Magistratu.

Quæ belli honestati ac Justitiæ ab Hæreticis opponuntur scripturæ loca, aliud non evincunt, quàm arma non sumenda, nisi autoritate publica & urgente necessitate, pro obtinenda stabilendaque pace & tranquillitate publica & ad graviora mala propulsanda; cum bellum bonum & optabile non sit per se, sed solummodo ad publica & majora mala, quàm ex ipso proveniunt, averruncanda, ut latè ostendunt cit. Becanus cap. 25. q. 3. Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 99.

n. 15. & Palao Tract. 6. disp. 5. p. 1. n. 5. & 6.

Dixi etiam, *Servatis debitis conditionibus*; ad belli enim honestatem & justitiam in ejus susceptione tres conditiones observandæ à DD. statuuntur.

Prima est legitima autoritas; quantumvis enim merè Defensivum, sèque & sua tuendi, vimque & injuriam propulsandi jus à natura competat cuivis, can. Jus naturale, c. Si verò, l. Ut vim & S. 27. cit. Offensivum tamen bellum suscipiendi jus residet in solo Principe & Magistratu, superiore in temporalibus non recognoscente ut cum D. Thoma 2. 2. q. 40. art. 1. & Panormit. in c. Sicut 29. de Jurejurando n. 7. Regulæ instar tradunt Covarruvias in Reg. Peccatum p. 2. S. 9. n. 1. Sotus in 4. dist. 15. q. 3. art. 5. ad 1. cit. Molina disp. 100. n. 2. Suarez s. 2. n. 1. & ceteri alicujus nominis DD. quæ apertè tradita est à S. Augustino, can. Quid culpatur cit. ubi, Ordo, inquit, ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium apud Principes, & his pares Respublicas liberas, sit. Ratio est; quia belli Offensivi susceptio est præcipuus actus Justitiæ Vindicativæ, in quavis bene ordinata Republica principaliter residentis penes Principem & similem illius Magistratum supremum; qui cum gladium à Deo in manus sibi traditum portet, ut eum stringat in malefactores Rempubliam offendentes, Roman. cap. 13. v. 4. eò uti potest in hostes externos, sibi obnoxios ratione rerum ablatarum & damnorū Reipublicæ illatorum per injuriam, eosque bello impetere valet, cum rerum illarum recuperatio reparatioque damnorum & pro injuria illata satisfactio obtineri aliâ viâ & temediò non potest.

Regula tamen hæc perpetua non est
U u u u 2 cùm e-

cum etiam Principi & statui inferiori belli adversus extraneos susceptio licita sit Imprimis ex Principis eique similis supremi Magistratus consensu, etiam tacito & rationabiliter præsumpto, casu urgentis magnæ necessitatis; quod indemnitati ac securitati suæ satis consultum non esset: nisi pro rebus ablatis damnisque & injuria illata protinus corripere arma, & illorum author hostis externus bellò statim impeteretur. Deinde, si Principis & Statûs inferioris salus, acceptorum damnorum & injuriarum illatarum reparatio à Principe & Magistratu supremo negligereetur. Et demum, si belli extraneis hostibus inferendi jus Principi aut statui inferiori quæsitus fuisset privilegio vel legitimâ præscriptione, Victoria Relect. de Jure Belli n. 9. cit. Molina disp. 100. à n. 5. Suarez s. 2. n. 2. & Becanus q. 1. n. 3.

6. Secunda conditio est Titulus seu belli indicendi justa causa: quæ generatim est injuria, vi & armis resarcienda vindicandave, juxta illud S. Augustini, *Justa bella defini solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bellò petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injurias ablatum est, can. Dominus 23. q. 2.* Ratio est; quia quævis Republica se defendendi habet jus, atque idcirco non solum inferendas injurias removere, sed rerum ablatarum recuperationem reparacionemque damnorum acceptorum cum ea inferentium justâ punitione procurare valet: & quia adversus extraneum alias non subditum & præsertim eum, qui superiorem non recognoscit, alia remedia non supererunt, correptis armis bellòque illatò potest, cit. S. Thomas q. 40. art. 1. Victoria n. 13. & 14. Molina disp. 102. n. 1. Becanus n. 4. & alii, quibuscum cit. Palao p. 3. n. 2.

salubriter advertit, injuriam, quæ bellum reddat justum, non qualemcumque, sed gravissimam esse oportere; cum enim ex bello gravissima mala nocentibus & innocentibus quoque immineant, & plurimorum salus, nec raro ipsa Republica educatur in discrimen, gravissimam esse necesse est injuriam, quæ remediis cum tantis malis & periculis conjuncti consilium cohonestet. Cujusmodi causa, Veteris Testamenti usu & exemplis approbata, sunt Rebellio subditorum, obediencia se subducentium, 1. Regum cap. 20. v. 1. Contumelia gravis Principi eisque subditis illata, 2. Regum cap. 10. v. 4. Defensio scelestorum ac facinorosorum hominum, ne justa punitione cogerentur, Judic. cap. 20. v. 1. Violatio pacti foederis, 4. Reg. cap. 3. v. 5. Supplicatio hostibus lata, 2. Reg. cap. 8. v. 5. Amittit ex foedere debitum sociis, in jullo bello infestatis, Genes. cap. 14. v. 14. Demeritio necessarii & innoxii terrarum per terras, Numer. cap. 21. v. 23. Voluntaria subditorum, Exodi cap. 32. v. 26. quibus affines sunt recuperatio provinciarum vitæ vitatis, Principi vel Republica per vim ablata; aut debita & injustè demerita, quam recuperari communis boni multum interest: defensio prædicationis Evangelii, & Christianæ atque Orthodoxæ Fidei adversus blasphemos & vere Religionis hostes & similes, latè discussa à DD. cit. qui tamen rectè movent, bellum pro civitate vel provincia ab alio possessa decerni Jure non posse, nisi illam suam aut debitam certò confet; quod in dubio melior sit conditio possidentis pro eoque pronuntiandum esset, si causa in judicium deduceretur, arg. Reg. Cum sunt partium 11. Reg. In pari 67. in 8. cum ipsius possessionis ratione efficacius jus habeat, quam alius, qui in possessione non est, Ripa in c. Saepè 18. de Restitut. Spoliat.

*Spoliat. n. 2. & Menoch. Lib. 6. prae-
sumpt. 69. n. 7.*

7. Tertia iusti belli conditio est Recta intentio; ut scilicet, iustâ causâ poscente, id intuitu boni communis decernatur, ejusque suscipiendi motiva non sint *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi & similia, qua in bellis culpantur*, sententia est S. Augustini *Lib. 22. contra Faustum relati can. Quid culpatur 23. q. 1.*
8. Unde etiam, cum iustitia belli omnino explorata est, non protinus adversam partem armis impetendam, sed causâ ipsi propositâ petendam satisfactionem competentem; & hanc, si offeratur, omisso bellò acceptandam, cum Majore in *4. dist. 15. q. 20. & Cajetano in Summa V. Bellum 5. Fac ergo observant citr. Molina disp. 103. n. 15. Laiman cap. 12. n. 5. assert. 4. & Palao cit. p. 13. n. 15.* partim; quia bellare non voluntatis sed necessitatis est, *can. Noli 23. q. 1.* propter hominum cædes deprædationemque & devastationem provinciarum aliæque mala & pericula, quæ secum trahit: partim verò; quia, oblatâ & præstitâ competente satisfactione, cessat causa finalis belli inferendi; ac proinde & ipsum bellum, *arg. c. Cum cessante 60. de Appellat.* Unde
9. Dubium oritur, an à belli prosecutione cessandi obligatio etiam detur, si competens satisfactio ab adversa parte offeratur post illud, aggressionem & cædibus jam factis, inchoatum; id enim negant Major & Cajetanus *l. citr. eâ* nisi ratione; quòd pars adversa, ipsa petita satisfactionis denegatione se constituerit extra statum satisfaciendi, & posuerit in statu satisfaciendi per Justitiæ vindictivæ executionem; quam inchoatam perficere aggressor, si velit, satis-

factione non acceptata, potest. Sed meliori ratione etiam hoc rerum statu competentem satisfactionem oblatam acceptandi obligationem dari, affirmant *citr. Molina n. 18. Suarez s. 7. n. 6. & Becanus q. 7. n. 4.* quòd bellum, ut dictum, non voluntatis, sed necessitatis sit: competente autem satisfactione oblatâ & exhibitâ, ejus prosequendi necessitas cesset. Cæterum, quia satisfactio competens in belli jam cæpti prosecutione non solum præstationem ejus, quod armis iustè vindicatur aut petitur, & damnorum illatorum resarcitionem, sed expensarum quoque in belli apparatus factarum refusionem cum laborum ac molestiarum compensationem, & resarcitionem injuriæ, & aliquando istius vindictam exposcit, non malè quis cum oppositæ sententiæ Assertoribus dixerit, petita satisfactionis denegatione partem adversam in satisfaciendi statu, si non de Jure, de facto tamen constitutam; cum, quæ satisfactio competens exposcit, omnia præstari ab ipsa plerumque vix, & quandoque ne sic quidem possint, ut rectè observat *citr. Palao p. 3. n. 14.*

Dubium etiam est, an bellum esse queat utrinque iustum; ut à belligerantium parte altera iustè inferatur, ab altera iustè propulsetur. Qua in re opus est distinctione inter bellum formaliter duntaxat & materialiter iustum; cum enim una pars verè, altera per errorem & ignorantiam invincibilem ac proinde bonâ fide credere possit, provinciam v.g. vel civitatem, pro qua armis certant, suam sibi debitam esse, pro eaque certantium neutra peccet, bellum utrinque iustum erit saltem formaliter: sicut contra ex utraque parte formaliter iniustum esse potest; quòd utraque id gerat malâ fide, & existimet ejusmodi provinciam vel civitatem nec suam nec sibi debitam, 10.

Uuuu; sed ali-

sed alicujus tertii esse. Materialiter autem, licet utrinque injustum, non tamen justum esse utrinque potest; quia, reipsa & seclusa ignorantia, altera duntaxat habet titulum seu justam causam, illam armis vindicandi ejusve tanquam sibi debita traditionem petendi & capiendi possessionem, *citt. Molina disp. 103. n. 18. Becanus q. 7. n. 2. & Palao p. 3. n. 9. & 10. hujus, suae Resolutionis rationem cum Valentia 2. 2. disp. 3. q. 17. p. 2. V. Nonde eam reddens; quod Justitia, cum sit Virtus, habere nequeat actus sibi contrarios, eandemque rem tanquam suam, sibi soli debitam armis vindicandi & apprehendendi jus tribuere duobus, *arg. l. Si ut certo 5. §. fin. ff. Commodati.**

- 11.** In belli suscepti prosecutione fervendus est modus; quantumvis enim communiter receptum sit, in bello justè suscepto Principi, ejusque justis ducibus & militibus, permittenda omnia, quae ad illius finem, sive damnorum & injuriae retaliationem vindicationemque, ad promovendam stabilendamque pacem & securitatem publicam necessaria aut valde convenientia sunt; ac proinde adversae partis duces & milites pugnantes capere & occidere, hostiles terras & bona occupare, vastare agros, cives exarmare, diruere arces, propugnacula construere &c. fas esse, ut cum *Victoria Tract. cit. n. 35. & 54. docent citt. Molina disp. 117. n. 1. Suarez s. 6. à n. 6. Laiman cap. 12. n. 9. & Palao p. 4. n. 2.* quod, ubi licitus est finis, media quoque ad illum obtinendum necessaria & valde conducentia permittenda sunt: Quantumvis, inquam, enumerata omnia iisque similia & affinia permulta licita sint: illicita tamen in belli, etiam legitime suscepti, prosecutione sunt

12. Primò, usus amulethorum & præ-

fidiorum magicorum, quibus vrg. pugnantium corpora impenetrabilia redduntur. Ratio est; quia amuletha & præfidia illa corpus à vulneratione immune & impenetrabile reddendi virtutem non habent ex sua natura: neque etiam ab ordinatione & promissione divina; ac proinde illam accipiunt à demone, humani generis infensissimo hoste, hominibus illa deferentibus, ex parte dante tacite assilente, in certam perniciem animarum, & præfidio suo non raro ipsa etiam corpora destituent: idcirco et justissima permissione Dei, cui in Evangelio datam fidem perdidit ac sacrilege infringunt, ejusmodi amulethorum usus committendò tutelæ Sathanæ: cui committuntur que operibus ejus ac pompis in futurum illo lavacro renuntiârunt, secundum *S. Clementem Lib. 7. Constit. Apst. cap. 4. & 42. & Dionys. Areopag. Celest. Hierarch. p. 2. cap. 2.*

Secundò, venenatio armorum, nonæ, fontium &c. quod à non Christianorum tantum, sed aliarum quoque gentium, quae virtutis ac fortitudinis laude unquam floruerunt, fere omnium usu vetitum videatur, & bella verum robore, consilio & armis, non venenatione patrandi sint, *Puteus de Re Militari Lib. 8. q. 9.* imò venenatio rebus ex se malis à DD. accenseatur, apud *Gobet Quinarii Tract. 5. cap. 10. n. 11.*

Dubium est, an licita in bello sint insidia & dolosa hostium circumventiones. Ratio dubitandi est; quod fas non sit hosti decipere mendaciò: cui similes sunt dolosa circumventiones. Verum similitudo hæc à vero, cujus speciem referre, multum recedit; cum, re accuratè ponderatâ, ejusmodi circumventiones & insidia hostibus structæ, simulationes potius & veritatis five consilii occultationes quam mendacia sint; & quando ad compa-

comparandam victoriam conferunt, iustum bellum gerenti licitæ eò ipsò sint; quod simulatio & veritatis occultatio ex justa causa sit permiffa, juxta illud S. Augustini, *Cum iustum bellum quis susceperit, utrum aperta pugnâ, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest, can. Dominus 23. q. 2. & l. 1. ff. de Dolo* cujus §. 3. ut Ulpianus ait, *Veteres dolum aliquem bonum dicebant, & pro solertia accipiebant, maxime si adversus hostem latronumve quis machinetur*: sicut factum à Josue, cum Divinò jussu civitatem Hai insidiis circumventam expugnavit, Josue *cap. 8. à n. 2. & à Judith, cum, Holoferne dolo obruncato, Bethuliam arctissima obsidione circumfessam liberavit, Judith à cap. 11. Serarius in cit. cap. 8. q. 9. cit. Molina disp. 111. n. 1. Suarez s. 7. n. 23. & Palao p. 4. n. 4.*

15. Tertiò, expulatio Ecclesiarum, aliorumque sacrorum & Religiosorum locorum, ad eaque & personas Ecclesiasticas aliòsque innocentes pertinentium bonorum, ex Constitutione Alexandri III. in Concilio Lateranensi edita, & relata *c. fin. ubi, variorum Prædecessorum suorum sanctiones innovans, statuit, Ut presbyteri, monachi conversi, peregrini loca sacra devotionis causâ obeuntes, mercatores, rustici euntes & redeuntes & in agricultura existentes & animalia, quibus arant & semina portant ad agrum, congruâ securitate latentur.* Ratio de sacris & Religiosis locis, personis, rebùsque Ecclesiasticis est partim; quia sacra loca eorumque bona fidelium liberalitate ac devotione Deo ejùsque cultui dicata & è seculari potestate ejùsque exactionibus Jure exempta sunt, *c. 1. c. Non minus 4. c. Si adversus 7. Sc. de Immunit. Eccles. l. Si quis 10. & Auth. Item nulla C. de Episc. & Cler. partim verò;*

quia Ecclesiastici constituunt partem Republicæ distinctam à statu Seculari, cuius potissimum violentiæ & injuriæ iusto bello causam præbent, *cit. Molina disp. 121. n. 3. Suarez l. 7. n. 14. & Palao p. 4. n. 18.* De peregrinis autem, ruricolis, & similibus ratio est; quia jus bellè exercendum in eos tantum est, qui sumunt arma, juxta illud T. Livii, *Jure belli in armatos pugnantesque utendum est, Hist. Roman. Lib. 28.* Cum ergo peregrini, ruricolæ, & similes arma non sumant, securitate gaudere Jure debent.

Sed, ut hæc ita sint, per accidens tamen etiam hujusmodi innocentium bona vastationi ac direptioni obnoxia sunt, quando id necessarium est ad belli finem & victoriam comparandam, aut iis ad injusti belli prosecutionem adjuvanda creditur pars adversa, *cit. Victoria n. 3. Molina disp. 121. n. 1. Becanus q. 14. n. 2. & Palao p. 4. n. 19.* Unde

Quartò, argumentò à minori ad majus ductò, in belli etiam iusti prosecutione illicitæ sunt cædes innocentium: quos directè occidi ullâ potestate humanâ non posse, constans TT. sensus est juxta illud, *Innocentem & iustum non interficies, Daniel cap. 13. v. 53.* Ratio perspicua est; quia occisio hominis intrinsecè mala est, nisi à publica potestate ex justa causa fiat: nulla autem causa justa est, directè occidendi innocentem; talis certè non est culpa civitatis seu communitatis, cujus innocens est membrum; cum culpa auctores tantum suos & delinquentes debeat tenere, *c. Quæsit 2. De his qua à majori & l. Sancimus 22. C. de Penis* adeò, ut neque filius pro delicto patris teneatur, *l. Crimen 26. ff. eadem Rubr.* neque ex crimine liberorum poenam incurrant innoxii parentes, *Deuteron. cap. 24. v. 16. Farinac. Prax. Criminal. q. 24.*

9. 24. n. 2. atque idcirco à S. Ambrosio non immeritò graviter reprehensus & à fidelium communione exclusus fuerit Theodosius Imp. quòd ob rebellionem civitatis cum fontibus trucidari iusserit infantes, *can. Cum apud Thessalonicam 11. q. 3.*

18. Neque cum hoc pugnant exempla incolarum, nullò inter fontes & infantes discrimine, interfectorum à Populo Israël, Josue *cap. 6. v. 21. & 1. Regum cap. 15. v. 3.* quia id ob gravissima peccata factum est ex voluntate & mandato Dei, vitæ omnium domini & necis, juxta illud, *Ego occidam & ego vivere faciam, Deuteron. cap. 23. v. 39. & Tu es Domine, qui vita & necis habes potestatem, Sapient. cap. 16. v. 13.*

19. Neque; quòd justò bellò urbem obfidens machinis bellicis impetere ac dejicere valeat turrim, cujus ruinâ innocentes prævidet opprimendos; quia tales non directè, sed indirectè tantum impetuntur & occiduntur; cum per accidens & præter intentionem oppugnantium, per se & directè intendentium solam Urbis vel arcis expugnatione, & ad hanc obtinendam vi deicientiù turres & propugnacula obfistentia expugnationi: quod justum bellum gerenti licitum, inde liquet; quia, cui licitum est bellum, licita etiam sunt media per se necessaria ad id prosperè gerendum, & ad victoriam comparandam; ac proinde urbium & arcium expugnatio turriùmque & propugnaculorum eam impediendum dejectione, non obstante periculo, illorum dejectione & ruinâ involuendi innocentes iis detentos; cum, sicut militum suorum oppugnantium cædes, sic aliorum innocentum oppressio præter intentionem & merè per accidens conjuncta sit cum expugnatione & victoria obtenta, & boni communis, privatæ singulorum incolumitati prævalentis,

intuitu per se directè justèque intentæ, *citt. Victoria n. 37. Becanus q. 11. n. 4. & Molina disp. 119. n. 7. Ubi*

Dubium est, an interficere licet hostes captos præliò, aut bellò devictos. Quia in re interest, utrum id necessarium sit ad belli finem consequendum, aut secus; cum, si id necessarium non sit, eosque ob invincibilem ignorantiam à culpa excusari, verisimile sit, captos devictosque interficere fas non sit. Si vero id ad criminis morte digni punitionem aut atrocis injuriæ vindictam aliorumque terrorem, vel ad firmandam Reipublicæ pacem ac securitatem necessarium valde conducens videatur, interficere justè possint; cum eò ipsò; quòd finis, punitio scilicet criminis & injuriæ ultionis pacisque & securitatis publicæ procuratio honesta & licita sint, talia etiam licita media necessaria & valde conducenda ad ejus finis consecutionem: & qui ad normis criminis coercitionem vel atrocis injuriæ ultionem bellum movet, vires subeat judicis animadvertentis in nocentes; atque idcirco mortis poenam, licet iste, sic etiam ex ejusmodi causa bellum movens in nocentes decernere eosque interficere Jure possit, *citt. Molina disp. 122. n. 3. Suarez s. 7. n. 7. Becanus q. 10. n. 6. & Palao p. 4. n. 5, qui tamen rationem habendam movent multitudinis; ut, licet, cum nocentes morte digni valde multi sunt, è medio tolli omnes permitteret rigor justitiæ, sublevis tamen auctoribus & nocentioribus in eorum aliquam multitudinem exardescere non sonat, sed rigori aliquid detrahendum sublevis Charitas & lenitas Christiana, *can. 1. dist. 44. can. Ut constitueretur 25. in fine dist. 50. & can. Oránationes 5. in fine p. q. 1.**

Quintò, privatio libertatis; etiam enim Jure Gentium fuerit introductum, ut pu-

ut publicè indiçò bellò capti servatique sine ullo personarum discrimine capientium evaderent servi, *can. Jus Gentium p. disp. 1. §. Servi 3. & 4. Instit. de Jure person. §. Item ca 17. Instit. de Res. divisi. eaque conditio sit bellò captorum Turcarum, Sarracenorum & similibus; cum hi in servitutem redigi cum uxoribus ac prolibus suis hodie quoque possint: alia tamen ratio est Christianorum; hi enim, licet bellò capti servatique à Christianis detineri valeant, donec pecuniam aliquam, quasi in præmium victoribus cessuram solverint, dominio tamen & servituti capientium non subjiçuntur, sed homines liberi manent, S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 8. ad 1. Panormit. in c. Sicut 29. de Jurejurando n. 8. Bartol. in l. Hostes 24. ff. de Captiv. & postlim. & Covarruv. in Reg. Peccatum p. 2. §. 11. n. 6. ex generali & aliquot seculorum usu præscripta consuetudine: quæ tamen, sicut aliis, ita Christianis Turcarum aliorumque barbarorum captivitate detentis & Apostatis, Christianâ fide penitus ejuratâ ad Gentilitatis errores transuentibus, cum bellò à Christianis capiuntur, ullum patrocinium non præstat, citr. Victoria n. 42. Molina disp. 117. n. 4. & Suarez disp. 13. s. 7. n. 13.*

23. Sextò, violatio Treugæ: cujus à Germanico vocabulo *Treū*, vel à Gallico *Treves* deductum nomen idem denotat, quod Induciæ Latinis, Gonzalez in c. 1. n. 2.

Est autem Treuga, sive Induciæ, securitas, discordiâ nondum finitâ, ad tempus præstita rebus ac personis, Hostiens. in banc Rubr. & Bartol. in l. 1. ff. de Pactionibus: differtque à Pace; quòd ista sit securitas præstita rebus & personis, discordiâ finem imponens, Glossa marg. in c. 1. v. Treugas & ibi Felinus n. 6. eam discordiâ finem vocantes.

Quantumvis autem Treugæ vocabulò quæcunque, præsentis tamen Rubricæ subiectis textibus eæ potissimum Induciæ veniunt, quibus à Seculo undecimo per Galliam & Longobardiam grafsantium privatorum, sive, ut etiam vocabantur, Consuetudinariorum bellorum incommoda mitigabantur; cum enim eâ ætate in dictis & quibusdam aliis provinciis suam suorumque injuriam quisque ferrò manûque ulcisceretur: & si provocatio, sive, ut loquebantur, Diffidatio præcessisset, adversarium cæde, prædis, incendiis Jure persequi crederetur, atque ita Respublica in summum discrimen adduceretur, ingravescenti ei malo Romanæ & inferiorum Ecclesiarum Præsules, coactis Ecclesiasticorum Principum aliorumque Magnatum Conciliis occurrerunt, & nefarium bellandi ardorem, cum non possent extinguere, represserunt per Inducias & armorum feriaciones, aliquò saltem tempore eaque lege constitutas; ut, qui, illis durantibus, ultionem exigere ab hoste vel inimico, prædas agere, à fidejussore pignus tollere præsumeret, in temeritatis poenam vel de vita componeret seu transigeret, vel à Christianorum consortio expulsus etiam patriâ pelleretur, ut ad memorati Seculi annos 34. & 41. refert Rodolphus Glaber Lib. 4. cap. 5. & Lib. 5. cap. 1.

Porro Treuga alia Legalis vel potius Canonica, quòd lege vel canone constituta: alia verò, quòd conventionem sive mutuo partium consensu definiatur, Conventionalis nuncupatur.

Legalis seu Canonica, aliquibus perpetuam, aliis temporalem duntaxat securitatem de Jure præstat. Perpetuam Clericis, Religiosis, rusticis & aliis personis, c. fin. citr. relatis, juxta dicta n. 15. Temporalem verò cæteris personis & re-

X x x x bus omni-

bus omnibus præstant sacratioribus anni temporibus & diebus, scilicet ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, à Septuagesima usque ad Octavam Paschatis, & reliquis anni hebdomadis omnibus ab occasu solis feriæ quartæ usque ad solis ortum feriæ secundæ, c. 1. in memoriam & reverentiam Coenæ, Passionis, ac mortis Domini, ejusdemque SS. Corporis in sepulchro jacentis, gloriose Resurrectionis atque Ascensionis in cælum, feriâ quintâ ac sextâ, Sabbatho & die Dominicâ peractis, Hostiens. in Summa n. 5. & Vivianus in c. 1. cit. his enim temporibus, si inevitabilis hostium importunitas non urgeret, ab armis & conflictibus sub excommunicationis, à proprio Episcopo infligendæ, pena erat abstinendû, c. cit. cujus tamen & c. fin. cit. saluberrimæ dispositiones assiduò bellorum usu & belligerantium, Legalium & Canonicarum sanctionum Religioni & auctoritati non facile assurgentium, crudelitate, ferreis & cruentis his seculis nimium quantum invalescente, penè exoleverunt, ut in c. 1. cit. cum Glossa V. Treugas cit. notant Panormit. n. 4. & Laiman n. 1. Unde

27. Dubium oritur, an bellum gerere liceat diebus Fests. Ratio dubitandi est; quòd cum istorum sanctitate non conveniat profusio sanguinis humani: eamque ob causam diebus illis non liceat quenquam ultimò supplicio afficere, juxta illud, Non in die festo Matth. cap. 26. v. 5. & c. fin. de Feriis, vel exercere Ludos Equestres ac Militares, ut sunt Torneamenta & hastiludia. Sed hoc posterius verum non est; quia Torneamenta vix ullo dierum discrimine prohibita, si periculosa; vel, si innoxia & non periculosa sint, licita sunt, per generalem doctrinam, tradendam Lib. 5. Tit. 13. n. 3. & 4. In nova etiã Le-

ge, si publicè interfit, nocentes supplicio affici, ad majorem solennitatem & confluentis populi terrorem, feriis factis aliquando consuevisse, & de Jure posse, Lib. 2. tit. 9. n. 10. statueretur. Et, si hoc Jure fieri non posset, alia tamen belli ratio & major necessitas est, quam publicæ punitionis; cum illius: non etiã istius dilatio vincendi occasionem asferre & Reipublicæ cladem asferre liceat possit.

Quare, non attentâ paritate, si qua esset cum reorum punitione, iusti belli prosecutionem tam Offensivam quam Defensivam adversus hostes diebus etiam Dominicis Festsque licitam, cum Capotano 2. 2. q. 40. art. 4. & aliis Tit. cit. rito defendit cit. Molina disp. 11. n. 5. quod de Defensiva patet ex illo, quicunque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus adversus eum, Machab. cap. 2. v. 41. De eadem & Offensiva etiã ratio est; quia Fests ac Dominicis diebus laborare licet pro salute corporali unius hominis, exemplè Modici ægro diebus illis parantur pharmacia; & ipsius Servatoris nostri Sabbatho lanatis, Luca cap. 14. v. 4. & Joan. cap. 7. v. 23. imò etiã piscari, si magna captura speretur, c. Licet 3. de Feriis. Cui non etiã pro salute periclitantis totius Reipublicæ bellum gerere & collatis legnis cum hoste confligere, si adhuc spes victoriæ; quâ illa à vastatione & interitu vindicetur ac restitatur, postum felicitati.

Conventionalis Treuga sive Indulgentiæ, sicut pacta & conventiones aliæ, legem modumque accipiunt ab ipsa conventionione & consensu partium, quò inducuntur, c. Contractus 85. de R. I. in 6. & semel constitutæ ex Jure Gentium, can. Jus Gentium 7. disp. 1. imò equitate naturali ab utraque parte inviolate

biliter sunt custodiendæ, *can. Noli 23. q. 1.* Quantumvis enim hostes dolò si-
ve solertiâ & strategematis fallere lauda-
bile sit, & bonus dolus esse dicatur *l. 1. §. 3. ff. de Dolo*, fides tamen ipsis data
& inita pacta violari non debent, *can. Noli cit.* neque fas est callidâ & malitiosâ
interpretatione frustrari paciscentes: si-
cut peperam factum ab illo, qui post
pactum induciarum pro triginta diebus,
agros depopulatus est noctu, eam ver-
sutiâ suâ rationem reddens; quòd die-
rum, non noctium induciâ essent pa-
ciâ, Cicero *Lib. 1. de Officiis*; cum
enim in re privata fidem fallere grave sit
l. 1. pr. ff. de Constit. pecun. multò magis
in negotio publico & Induciis cum hosti-
bus, etiam paganis & hæreticis, eam vio-
lare non licebit: quorum ratio ulterior
& solida est; quia pacta, etiam cum hæ-
stibus inita, obligant Jure Naturali, ad
datam fidem servandam quemlibet ad-
stringente; cum humanæ fidei nihil magis
congruum, quàm ea, quæ inter ali-
quos placuerunt, inviolabiliter custodire:
eique contrarium nihil magis sit, quàm
eadem violare, *l. 1. ff. de Pactis*, ut ibi
notat Baldus, Principi aliisque Magistra-
tibus lupremis à Deo leges, non etiam
pacta & conventiones subjectas asserens,
in cap. 1. de Natura Feudi, præsertim
si illis firmandis adjecta sint juramenta,
c. Quantumvis 2. de Pactis & c. Licet 2. de Jurejurando utrobique in 6. Quà de re
sermo redibit *Lib. 5. Tit. 7. art. 6.* Hòc
locò

29. Dubium est, an Treugæ sive In-
duciarum & pacis fides, ab una parte
violata, servanda sit alteri. Quod indi-
criminatim aliqui affirmant aut negant.
Alii ad Inducias, non etiam Pacem ser-
vandam hanc obligari volunt, differen-
tiâ rationem eam reddentes; quòd In-
duciâ naturâ suâ temporales duntaxat:

Pax autem perpetua sit; & propterea,
si hanc violatam pars læsâ custodire te-
neretur, ruptæ pacis pœnâ ab offenden-
te exigi nunquam possit. Illarum con-
trâ violationem ulciscendi opportunum
tempus & occasionem afferat lapsus In-
duciarum.

Verùm, quia vox & dogma Juris
est, Fidem frangenti fidem non servan-
dam, id quod Pacis, etiam Induciarum
pactionibus ab una parte violatis, alteri
seu læsæ parti permillum meritò vide-
tur. Illò ergo discrimine rejectò locus
est alteri distinctioni inter modos, qui-
bus à Treugæ sive Induciarum atque e-
tiam à Pacis semel inita conditionibus
temere receditur; vel enim illis data fi-
des & pacta factò solum privatò, vel
publicò violatur? Si prius, & impe-
rium vel ratihabitio publica non accessit,
neque Pax neque Induciâ dissoluta cen-
sentur: nisi delinquentium deditio puni-
tiòque & pro dâmno illatò debita &
petita satisfactio denegetur. Si poste-
rius, illa & hæ pro ruptis haberi pos-
sunt, statimque absque nova belli in-
dictione arma corripì & hostis invadi;
quia Pacis & Induciarum conventioni &
ex ista ortæ obligationi tacitè inest con-
ditio, *Si pacta conventa ab altera par-
te inviolata custodiantur, arg. t. Per-
venit 3. de Jurejurando, l. Qui fidem
6. ff. de Transact. & l. Cum proponat
21. in fine C. de Pactis*, Gonzalez *in c.
1. cit. n. 16.* Plura de justa belli pro-
secutione plena manu dabunt laudati Be-
canus *cap. 25.* Molina à *disp. 98.* Suarez
disp. 13. & alii DD. *cit.*



Xxxx 2 TITUL